

vehementi accensus, eis bellum indixit. Cum Faventinis igitur et aliis suis amicis atque fidelibus, castrum praefatum [a] per quinque obsedit hebdomadas [b], intus reclusos vehementissime affligens manganis et aliis diversis tormentorum generibus. Tandem castellani Faventinis et comiti castrum tradiderunt, ea tamen conditione [c], quod apud plateam Sancti Donati habitare deberent et, si comes aliquando ipsos injuste affligeret, Faventini eos defendere tenerentur, aut liceret ipsis venire Faventiam et esse perpetuo cives [d].

De secunda guerra [e] Imolae et Guidonis comitis.

CAP. LXXXIII.

A nativitate Iesu [f] Christi anno MCLXXX^{VIII} (71), pacta [non servantibus civibus Imolae] et censum annuum, quem debebant Bononiensibus et Faventinis, persolvere nequaquam volentibus, Faventini et Bononienses bellum eis indixerunt justissime; et manu armata, mense Junio [g], comitatum intraverunt Imolae, arbores, segetes et vineas usque civitatem devastarunt hostiliter. Faventinis autem tanto negotio desudantibus, comes Guido Guerra cancellarium Christianum duxit ex improvise Mutilianum, ut omnes apud plateam habitantes in dolo capere possent [h]. Sed quidam, ut summum placuit Trinitati, tantam praedocti nequitiam [i], Faventiam et ad alia circumstantia loca evadere festinarunt [j]. Abinde ergo, fere per totum triennium, Faventini pariter comiti et Imolensibus guerram intulere maximam.

Quando cancellarius [k] Christianus obsedit Castrumcarium.

CAP. LXXXIV.

Post nativitatem Domini secundum carnem [l] MCLXXX^{VIII}, mense Junio, cancellarius Christianus obsedit Castrumcarium [m]. Faventinis ipsum defendentibus. [A]

De proelio apud Cerrum cum cancellario Christiano [n] commisso.

CAP. LXXXV.

Eodem quoque anno [o] et die xx^{III} mensis Julii, praefatus cancellarius, cum exercitu Teutonicorum [p] et omnibus electis viribus [q], ab Arimino usque Foroli-

[a] castrum praefatum, C. M.; castrum praedictum, C. V. — [b] obsedit hebdomadas, C. V. In C. M., hebdomadas. — [c] ea tamen conditione, C. M.; hac tamen conditione, C. V. — [d] esse perpetuo cives, C. M.; esse perpetuos cives, C. V. — [e] De secunda guerra etc. Sic C. M. In C. V., deest titulus, ut plerumque desiderari solet in eo. — [f] A nativitate Iesu, C. M.; Anno Domini, C. V. — [g] mense junio, C. M.; mense iunii, C. V. — [h] capere possent, Codd.; capere posset legit Cl. Mitt. — [i] praedocti nequitiam. Sic Codd. V. et M.; non perdocti. — [j] evadere festinarunt, C. V.; evadere festinatur, C. M. — [k] Quando cancellarius etc. Sic C. M.; in C. V., deest titulus, ut deesse plerumque diximus. — [l] Post nativitatem Domini secundum carnem, C. M.; Anno Domini, C. V. — [m] obsedit Castrumcarium, C. M.; obsedit Castrum Cunium, C. V. — [n] cum cancellario Christiano, C. M.; cum supradicto cancellario, C. V. — [o] Eodem quoque anno, C. M.; eodem anno, C. V. — [p] Teutonicorum, C. V.; Teotonicorum, C. M. — [q] electis viribus, C. M.; collectis viribus, C. V.

[A] Tunc Faventini ab Imperatore desciverant, et societati Lombardorum favebant.